



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 96. Quid possit circa provisionem parochialium conferendorum per concursum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

rendi adhuc non concludatur, non pertinere collationem ad legem jurisdictionis, & quò minus in materia provisionis facultas aliqua transeat ad Capitulum Sede vacante; sufficit illum casum non esse expressum in jure, ut Coraf. Federic. de Senis. Rota apud Lotter. Unde jam etiam, etsi beneficium debitum certæ personæ. V. g. primogenito, ejus collatio (de qua in specie loquitur Garc. pro sententia contraria adductus) adhuc non transit ad Capitulum, ut contra Fermos. Dianam, Meroll. citati ceteri AA. vide me de his, *quest.* 526.

3. Resp. tertio: Collationem ob negligentiam inferiorum collatorum devolutam vel devolvendam ad Episcopum, dum is viveret, vel supervixisset, devolvi ad Capitulum Sede vacante, docent Zechus de benef. c. 5. n. 5. Zerol. pr. episc. p. 1. v. capitulum. §. 5. Lambert. de jurep. l. 2. p. 3. *quest.* 3. a. 8. Zyp. juris pontif. b. t. à n. 6. Molin. loc. cit. num. 12. quos citavi, *quest.* 527. num. 1. hac ducti ratione: quòd facultas conferendi spectet quidem ad dignitatem episcopalem, cujus est fructus; in casu tamen devolutionis, supplendo negligentiam inferioris, spectet ad jurisdictionem episcopalem, & quidem necessariam ad diocesis utilem administrationem. Contrarium tamen tenent. Fermos. loc. cit. *quest.* 24. num. 4. Garc. p. 2. c. 7. num. 53. Castrop. loc. cit. num. 10. Azor. p. 2. l. 3. c. 38. *quest.* 6. Barbof. juris eccl. l. 1. c. 32. num. 110. Laym. in c. cum olim de major. Obed. num. 3. &c. Ex ea ratione; quòd, cum hac devolutio non deducatur immediatè ex natura rei, nec ex aliqua ratione concludente, sed immediatè ex Juris Canonici dispositione, non fit inducenda extra casus in jure non expressos, qualiter, quòd ea devolvatur ad Capitulum nullibi exprimitur. His non obstante c. 2. de concess. prab. utpote loquente de devolutione collationis jure proprio competentis Episcopo negligenti, quòd nimirum ea devolvatur ad Capitulum. Idem, quòd dictum de collatione, dicendum juxta hanc posteriorem sententiam de electione, ut, dum electores neglexerunt eligere, aut electionem perperam instituerunt & hinc devoluta ad superiorem, adhuc Capitulum Sede vacante non possit eam instituere. Laym. loc. cit. Secus tamen dicendum de confirmatione & institutione, ut, dum in ea faciendi inferiores, ad quos ea pertinebant, fuerunt negligentes, Capitulum possit confirmare & instituere.

Quest. 96. Quid possit Capitulum Sede vacante circa provisionem beneficiorum parochialium conferendorum per concursum?

1. Resp. primò. Seclusa reservatione, quâ aliàs beneficia Sede episcopali vacante vacantia vi Reg. 2. Cancell. reservantur Papæ, eorum collatio, dum ea competit Episcopo facienda ab eo declarato digniori in concursu, non transit ad Capitulum Sede vacante. Castrop. loc. cit. num. 12. Garc. loc. cit. num. 86. Fermos. loc. cit. num. 8. Lotter. l. 2. *quest.* 2. num. 27. ob easdem rationes datas resp. 2. ad preced. *quest.* juxta sententiam secundam: nimirum, quòd, etsi admittatur competere judicatio digniori jus aliquod ad beneficium, Ordinarius non teneatur jus hoc exequi, nec ad id compelli possit, sed possit permittere, etiam consensu jam habito, devolvi ad alium, & sic adhuc collatio respectu Ordinarii sit libera Castrop. R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. III,

Garc. LL. cit. Item, quòd omnis collatio sit prohibita Capitulo Sede vacante, exceptis casibus in jure expressis.

2. Resp. secundò: De cetero potest Capitulum Sede vacante beneficio parochiali vacante, sive in mense ordinario, sive Papali, instituere concursum, sive apponere edicta, ad concursum vocare, concurrentes examinare, dignioremque ex approbatis eligere, eumque offerre Papæ ab eo providendum, ubi ei reservatum est beneficium; in summa, potest omnia à Trident. Sess. 24. c. 18. quò ad hoc præscripta usque ad electionem dignioris inclusivè, non secus, ac illa peragere possit Episcopus. Castrop. loc. cit. Barbof. loc. cit. num. 92. Molin. loc. cit. num. 11. Garc. p. 9. c. 2. num. 6. C. de Luca de Paroch. d. 5. num. 3. & 5. Verumtamen etsi hæc jurisdictio habendi concursum existat habitualiter penes Capitulum, hanc tamen ab eo exerceri non possit per seipsum, sed necessariò exercendam immediatè per Vicarium ab eo deputatum, tradit C. de Luca loc. cit. n. 4. & ad Trid. d. 23. num. 30. & Fagn. in c. illa. h. 2. num. 17. in fine. Verbis ipsius S. Congr. Concil. vide me *quest.* 530.

3. Resp. tertio: Quòd verò spectat ad deputationem Examinatorum, si Capitulum potest celebrare synodum, nil vetat in ea deputare Examinatores. De cetero videtur idem posse vel non posse circa deputationem examinatorum extra synodum, quòd potest vel non potest circa hoc Episcopus. Vide me *quest.* 531.

Quest. 97. Quid possit Capitulum circa commendanda beneficia?

1. Resp. primò: (Præscindendo iterum à reservatione, quâ omnia beneficia spectantia ad collationem Episcopi Sede Episcopali vacante vacantia reservata sunt hodieum Papæ, adeoque deputatio illa administratoris aut commendatarii spectat ad ministros Papæ, ut Lotter. l. 2. qu. 2. num. 26. citans Abb. & Rotam:) potest Capitulum beneficia spectantia ad collationem Episcopi, commendare ad tempus providendo de Vicario & Oeconomo idoneo assignato ei congruo stipendio, qui ea administret, donec conferantur ab eo, cui competit collatio; cum id spectet ad rectam diocesis administrationem. Barbof. loc. cit. num. 94. Molin. loc. cit. num. 11. Azor. loc. cit. n. 8. Castrop. loc. cit. num. 21. Fermos. loc. cit. *quest.* 25. à num. 12. Ego in for. benef. p. 2. *quest.* 711. n. 2. Quæ tamen datio administratoris, custodis Oeconomi est quid diversum à commendare beneficium; cum commendatarius temporalis, etsi titulum beneficii non habeat, habeat tamen plus juris, quàm merus administrator; cum saltem de consuetudine ei permittatur percipere fructus beneficii, & ejus juribus uti. Laym. ad c. nemo de elect.

2. Resp. secundò: Potest etiam ecclesias parochiales commendare temporaliter ultra sex menses, seu illos prorogare, donec iis de idoneo Rectore fuerit provisum. Laym. loc. cit. n. 3. Fermos. loc. cit. num. 10. Barbof. loc. cit. num. 110. atque ita quò ad hanc prorogationem temporis in commenda parochiarum loquendum de eo, sicut de Episcopo, si is viveret. Nequit tamen Capitulum aut ejus Vicarius eas commendare, multoque minus

G

omnes